



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmae Virtvtvm, Ac Vitorvm , Tomus ...

Guilelmus <Peraldus>

Lvgdvni, 1585

Quomodo superbia se habeat ad diabolum. Cap. III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46161](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46161)

rent, inter vicinos suos honorificè viuere non possent, vt ipsi dicunt. vnde manifestum est, q̄ superbia peccatum rapinæ & vitiæ cōseruat in eis. Ideo necesse esset vt prædicator conareret diruere turrim superbiæ in talibus personis, qua diruta nulla pars castrorū huiusmodi se teneret. Superbia primo animā aggreditur, & vltima cessat ab eius impugnatione. vnde sup̄ illud Psal. Si mei non fuerint dominati &c. dicit gl. Vitiū superbiæ vltimū est redeuntibus ad Deum, & primum recedētib. Aliis vitiis in fugam conuersis, sola superbia in campo remanet, non cessat ab impugnatione hominis dum ipse v̄uit. vnde quidam: Qui bene pugnaris, cum cuncta subacta putaris, Quæ prius infestas, vincenda superbia restat. Superbia fuit primū peccatū, iuxta illud Eccl. 10. Initium omnis peccati est superbia. Etiā non videtur aliquod peccatū esse absq; superbia: quia omne peccatū est aut ex omissione, aut ex transgressione: & in vtroque casu non videtur esse sine inobedientia, quæ nō videtur esse sine superbia. Vnde nullum peccatū videtur esse sine superbia. Et vt breuiter dicamus, superbia est causa omnis peccati. Vnde dicit Gl. super illud Psal. Si mei nō fuerint dominati. &c. Superbia est initium omnis peccati, & causa: qua qui caret, verò est immaculatus.

Quomodo superbia se habeat ad diabolum.

C A P. III.

NOrandum, quòd superbia signum est quo diabolus suos distinguit ab aliis. Vnde legitur Iob 41. de ipso, q̄ ipse est rex super omnes filios superbiæ. Et Gre. Euidētissimum signum reproborum, superbia est: humilitas, electorum. Cū ergo quam quisq; habeat cognoscitur, sub quo rege militat inuenit. Vnūquisque quasi quēdam titulum portat operis, quo facile ostendat sub cuius seruiat potestate rectoris. vnde in magno dolore & timore esse debet, qui se cognoscit superbum. Superbia est velut quādam imago diaboli. Vnde homo superbus expressè est similis diabolo: iuxta illud Greg. Apostata angelus similis efficitur homo, dum homo hominibus similis esse dedignatur. Diabolus etiā in homine superbō quiescit quasi ad vmbra. Superbia enim velut mons est, soli iustitiæ oppositus, lumen gratiæ repellens, vnde vmbra facit diabolo. De qua vmbra legitur Iob 40. Sub vmbra dormit. Superbus est etiā munitio diaboli ferè inexpugnabilis, eò quòd in altitudine montis superbiæ situs sit.

Quomodo se habeat superbus ad proximum.

C A P. IIII.

Superbus coangustat proximum, dum se dilatat: & dum se ei præponit, quasi quoddam onus ei imponit. De dilatione super